



**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniæ, 1611**

XIX. Quod angelus locu[m] ubi fratres defunguntur, cruce Christi  
signauerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)



bitudo, quasi in prædam iam iam que rapiendam durissimè infremebat. Ego quid aliud, quam me continuè in frustra discerpendum, & deuorandum suspicarer? Hoc me diu terrore diabolus fatigatum, à mente mea excedere, sicut vidistis, coëgit. Iam misericordia Domini liberatus & quid, vel à quo ista passus sim agnosco, & liberatori meo quas possum gratias ago. Hæc frater ille mihi & omnibus qui astabant, vt dicta sunt, narrauit. Et quia multam ex terrore illo contraxerat debilitatem, conuentui per triduum interesse non potuit, sed cooperato, ad priora contra malignos spiritus certamina, ex debilitate valentior insurrexit.

*Quod Angelus Domini locum, ubi fratris defunguntur, Cruce Christi signauerit.*

## CAPVT. XIX.

**Q**VAM antiqui hostis aperta contra Christi milites prælia, in illo memorabili loco exacta, & ab eis subacta narrauit; dignum est, vt ipsarum victoriarum palmas quibusdam etiam aperte collatas ostendam. Vt quemadmodum aduersus beatos homines, malignos

lignos



lignorum spirituum monstraui inuidiā,  
ita de ipsis sollicitam sanctorum Ange-  
lorum demonstrē custodiam. Nā quos  
ab illis tentatos, ab istis sæpe iussu Dei  
compertum est glorificatos. Igitur sicut  
de innumeris hostium congressionibus  
quædam retuli, sic de multis cœlestium  
visionum miraculis pauca narrabo. Teu-  
tonicus quidam Eppo nomine, à sepe di-  
cto beato patre Hugone in monachum  
susceptus, toto quo postmodum vixit,  
tempore, religiosè conuersatus est. Qui  
appropinquante hora vocationis suæ, in-  
firmitate correptus, in domum infirmo-  
rum secundum morem delatus est. Erāt  
ibi & alij fratres, morbis & ipsi diuersis  
laborantes. Quorū quidam ceteris mor-  
ei proximiores, vltimum penē spiritum  
natura succumbente trahebant. Interea  
frater iam dictus valetudine ingrauescē-  
te, & ipse ad extrema perductus, inter vi-  
tæ mortisq; discrimina agonizabat. Ad-  
huc tamen sensu & verbo integer, con-  
spexit infandam dæmonum turbam cū  
titionibus igne fumigantibus irruētem,  
per domum illam infirmorum, furioso  
vbique impetu discurrere. Qui cum ita  
bacchantes huc illucq; verterentur, ce-  
ce beati Apostoli de cœlestibus adue-  
nica-



aientes, perterritos fratres ne timerent  
 blandè hortati sunt, & mox gloriosa sui  
 aduentus præsentia, latrunculos illos ef-  
 fugauerunt. Verba verò loquentium  
 sanctorum ab instantibus audiebantur,  
 sed personæ minimè cernebantur. Sic  
 domo Dei apostolica præsentia ab im-  
 mundis spiritibus emundata, cœlestis vi-  
 sionis gloria augmentatur, & beatis A-  
 postolis sancti Angeli coniunguntur.  
 Habetur autem in domo media locus,  
 vnius corporis capax, ad hoc aptatus ut  
 fratres ibidem in cinere & cilicio com-  
 positi, extremum Deo inde spiritum  
 reddant. Hunc locum frater huius visio-  
 nis conspexit, quodam inconsiderato  
 timore ita abhorrebat, ut nullatenus ei  
 se appropinquare pateretur. Dum ergo  
 ea quæ dicta sunt contemplaretur, re-  
 spexit, viditque angelum Domini manū  
 in sublime porrigentem, signo sanctæ  
 Crucis locum eundem signasse. Quo fa-  
 cto, visio ab oculis eius subtracta est. Iam  
 omni à corde eius stulto timore sublato,  
 post paululum se in loco eodem reponi  
 fecit, sicque animam suam sanctis  
 qui apperuerant, alacriter  
 tradidit.

*De fra-*